

## Band IV., Nr. 1170, Seite 239-240

*Graf Ludwig von Oettingen weist dem Kloster Kaisheim statt 30 Mark Silber, welche Elisabeth Gräfin von Grüningen sel., die Mutter Ludwigs des Jüngeren von Oettingen, diesem Kloster bestimmt hatte, drei Güter in Kössingen und Hohlenstein zu.*

Ohne Ortsangabe, 1251.

In nomine domini. Amen. Lvdewicus comes de Ötingen universis sancte ecclesie filiis presentem literam inspecturis salutem in domino. Constat profecto, quod in causis gestis sive gerendis omnis dolus, omnis fraus et universa litis machinamenta excluduntur, quociens ipse cause sollempniter et racionabiliter pertractate in scriptum rediguntur et testimonio probatarum personarum nichilominus muniuntur. Hinc est, quod ad noticiam tam presencium quam futurorum pervenire desidero, quod beate memorie nobilis comitissa de Grvningen, Elizabeth dicta, mater videlicet L(vdewici) iunioris de Ötingen, morti iam vicina in spe bona sepulturam sibi in Cesariensi ecclesia preelegit eidemque ecclesie XXX<sup>ta</sup> marchas argenti pro remedio anime sue a predicto filio suo L(vdewico) persolvendas assignavit. Sed ecce medio tempore sepredictus L(vdewicus) mortis iura persolvit et necdum soluto debito mihi propinquitatis titulo hereditas ipsius cessit. Qui saniori innitens consilio memoratum argentum prefate ecclesie a me persolvi depoposcit. Quod ego libens suscepi meque omni occasione postposita daturum fidelissime sponondi. Verum quia termino elapso argentum habere non valui, tria equivalencia predia in Kesingen et in Hostenstan, que proprietatis titulo possedi, sepedicte ecclesie religiosis viris tamquam amicis carissimis ut puta commodius assignavi sollempnique donatione adhibita et coram testibus subscriptis roborata perpetuo et prorsus proprietatis titulo possidenda contradidi, nulli heredum meorum quicquam iuris nomine advocatie seu defensionis aut procurationis, vel quocunque nomine alio legaliter aut vulgaliter censeatur, ius eisdem relinquens. Pro uberiori quoque munimine presentem paginam dignum duxi conscribi, quam sigilli mei inpressione perpetuo valituram roboravi.

Acta sunt hec anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LI<sup>o</sup>.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Nur die schwarzweißen Seidenschnüre, an denen das Siegel hing, sind noch an der Urkunden befestigt.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

StA Augsburg

**Signatur/Titel des Originals:**

Reichsstift Kaisheim Urkunde 77

**Überlieferung und Textkritik:**

War ehemals im HStA München.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Ohne Ortsangabe

**Aussteller:**

Ludwig; Graf von Oettingen

**Ortsindex:**

Grünigen Wohnplatz (17484)

Grünigen, Riedlingen, BC

Hohlenstein Wohnplatz (4706)

Hohlenstein, Neresheim, AA

Kaisheim, DON

Kösing Wohnplatz (4708)

Kösing, Neresheim, AA

Oettingen in Bayern, DON